

Thaddæum Æstensem, & Guidonem Ranconium Bononiensibus auxilio mittunt: Florentini Asturem Faventinum & Simonetum aliquanto antea miserant. Hi haud magno negotio fusos hostes ex Bononiensi agro brevi dejecerunt. Atque rebus circa Bononiam pacatis, sociorum copiæ diversæ abidere: Veneti duces in Galliam, quo trepidissimis nunciis ob bellum in Cremonensi renatum revocabantur; Hetrusci in Picenum agrum, ad opem Sforciæ ferendam jussi sunt transire. Siquidem ille post Alphonsi Regis Lodovicique Pontificis Legati adventum (quorum uterque cum magnis copiis in Picenum venerat) variis cladibus aliis super alias acceptis, in summum erat discriminus ad ductus. Sed nihil æque Sforciæ rebus obsuit, ac suorum defectio. Nam & Troilus cum mille equitibus ad Regem transiit, tradita illi Æsi urbe, cui præsidio erat impositus, & Petrus Brunorius cum octingentis militibus transpositionem fecerat. His & aliis cladibus confernatus dux, alioquin invictus, amissu interim Æstulo, ac fere quicquid in Piceno ad eam diem tenuerat, ad Fanum Fortunæ se receperat: ac tum demum ad Philippum respicere cœpisse creditur, ac cum eo clam fœdus percussisse, convenisseque inter eos, ut Cremonenses fines Philippus infestaret; ad quos motus apparebat Venetos nullo modo quieturos, sed subito arma & bellum pro Sforciæ rebus reparaturos: quo postea conserto, tum gener quasi coactus ad socii opes conversus, pro Filippo in Gallia militaret, gravique bello Venetos urgeret: atque ita ut illi opinati sunt, bellum in Gallia est non multo post conflatum, sed meliore omnino Venetarum rerum eventu, quam hostes animo conceperant.

Verum priusquam ad ea quæ in Gallia secuta sunt, transeamus, de Piceni belli exitu pauca subjiciam. Miserant Veneti ad eam Sforciæ cladem Thaddæum Æstensem, Guidonem Ranconium, & Tybertum Brandolinum, Florentini Simonetum illi auxilio; erantque cum ipsis ducibus ad quatuor armatorum millia, qui ad Marenianum confederant: sed ne Sforciæ jungerentur, Picininus ad

*Sforciæ opes
frangit du-
ctorum de-
fectio.*

mon-